



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ōrigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Hapanta Ta Hellēnisti Heuriskomena

Origenes

Coloniæ, 1685

Caput primum, quidquid natales inter Origenis & Severi mortem
intercessit, complexum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79842](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79842)

I. *Origenis patria, ætas, parentes.* II. *nomen.* III. *cognomenta.* IV. *institutio puerilis, indoles.* V. *præceptores & studia.* VI. *Utrum Ammonium audierit.* VII. *An plures fuerint Origenes, & plures Adamantius.* VIII. *Leonidæ martyrium.* IX. *Origenes Grammaticam publice proficitur, Catechumenos instituit, Martyribus præfuit.* X. *Utrum hoc tempore Cæsarem Appadocia viderit.* XI. *Grammaticæ docende munus abdicat.* XII. *Piæ ejus exercitationes. Plurimi ex ejus discipulis martyrium obeunt.* XIII. *Se ipse evirat.* ^B

I.



ORIGENES genere Ægyptius, Alexandria natus est anno Christi, ut videtur, centesimo octogesimo quinto, annum jam sextum imperante Commodo, nonum vero Christianam rempublicam administrante Eleuthero Papa, Triatio Materno, M. Atilio Brada. COSS. Cum enim decimum septimum ætatis annum egisset cum scribat Eusebius, quo tempore martyrium expetivit pater ejus Leonides, anno nempe Severi decimo, plane ab eo, quem dixi, cardine, vitæ initium videtur duxisse. Biennio juniorem faciunt Fasti Siculi, alique, & in annum qui fuit Clodio Crispino, & Papirio Æliano COSS. ortum ejus conferunt. Eadem videtur Mariani Scoti ratio, nam in annum Christi 204. Leonida martyrium conjicit. Toto vero triennio recentiore credit Origem Hermannus Contractus : nonnulli etiam quadriennio. Nos Eusebii sequimur *Ἐκλογιστῆς*. Pater illi fuit is, quem dixi, Leonides, omni virtutum genere insignis, & sacris disciplinis apprime institutus, Episcopatu etiam, ut scribit Suidas, præditus. Matris nomen silentio Auctores præserunt.

II. Origenes appellatus est: cuius nominis etymon à multis disquisitionem est. Theophrastus Cerameus Hom. 22. *Ὠρεγίπλος* & *Ὠρεγίπλος* appellatur: sed non tam, ut videtur, ad indicandam nominis originem, quam ad iuggendum Origenem quæ sita ex vocis sono occisione. Erasmus, Caninius, Hoeschellius, & Schortus, viri Græcis literis luculenter exculti, nonnullique præterea, *Ὠρεγίπλος* dictum putant, quasi *Ὠρεγίπλος* & *Ὠρεγίπλος*, *Ὠρεγίπλος* & *Ὠρεγίπλος*. D. Johannes Tartinus, & alii, ita cum existimant appellatum, quasi *Ὠρεγίπλος*, seu *Ὠρεγίπλος* *Ὠρεγίπλος*, *nature genitum*. Incepte Badius, qui dictum fingit ab *Ὠρεγίπλος*, quod est ac *Ὠρεγίπλος*. Ego ab Oro, qui Ægyptiorum DEus est, nomen illud profluxisse existimo, quemadmodum à Jove Diogenem; à Mercurio, Hermogenem. Neque vero miretur quisquam Christianos parentes ab Ethnicorum DEo derivatam appellationem illi indidisse; id enim tum erat uti pervagatum, nec ejusmodi nomina abjiciebant Catechumeni, cum Christifidem amplectebantur; atque hinc Dionysius ille Arcopagita, Apollus Alexandrinus, Phœbe, Hermas, Hermes, Nereus & Diotrophes, Lucas, Paulus, & Johanni inter Christianos commemorati; hinc Ammonii, Serapiones, Athenagoras, Apollinarii, Demetrii, Isidori: quis enim, ait Tertullianus, *nominum reatus*? Quod autem obijci potest ab Oro Orogenem fuisse dicendum, non Origenem, de nihilo est; nam primum responderi potest sic pro *Ὠρεγίπλος*, Mercurium *Ὠρεγίπλος* fuisse dictum; sic *Cephsidorus* nomen fuisse cuidam Aristotelis adverterio; qui *Cephsidorus* fuerat appellandus; usu quoque receptissimum esse apud Latinos ita nomina conslare; sic *Dionysipolitis* appellasse Cicronem, quos alii *Dionysipolitis*; sic *Demiphonem*, & *Clitiphonem* à Comicis dictos, qui ab aliis *Demophoon*, & *Clitophon*; sic *Phæbigenam* à Virgilio, qui *Phæbigena* dici debuisset. Et ut similem nominum coagmentationem proferre nullam possemus, quis accuratam Hellenismi munditiam in Alexandrina requirit Dialecto, quæ à Macedonica profecta est, barbara ipsa primum & impura, & extra Græcarum censum numerata, tot deinde Gentium commercio inquinata, & ab Ægyptiis demum, inter quos consedit, distorta & corrupta. Inde fit ut Alexandrinorum loquelam tam sæpe carpant Critici antiqui, Phrynichus, Thomas Magister, & Helladius Belandinus. Verum his omissis genuina responsio ex sequentibus facile exarbit. Orus Ægyptiorum Deus est Osiris & Isis filius, quem Apollinem esse, & Solem Veteres magno consensu tradiderunt. Orum seu Horum dictum existimavit Horus Apollo, quod horis præsit; Horas contra nomen ab eo traxisse, & quatuor anni tempestates *Ὠρεγίπλος* indidem dictas, & annum, & Græcorum annales, & eorum scriptores *Ὠρεγίπλος* tradunt Macrobius, & Censorinus. Incepte Horus Apollo. *Ὠρεγίπλος* *Ὠρεγίπλος* *Ὠρεγίπλος*, *Ὠρεγίπλος* *Ὠρεγίπλος* *Ὠρεγίπλος*, inquit Paulanias: vere. Salmastius Orum nomen habere censet à veteris linguæ Ægyptiæ vocabulo *Ὠρεγίπλος*, vel absque articulo, *Ὠρεγίπλος*, quod *Regem* sonat. Ita certis quidem sæpe exponit Ibno Cabar in Scala magna, quam edidit Kircherus. Sunt qui derivent

Macrob. l.
1. Saturn.
cap. 21.
Censorin.
cap. 19.
Pausan. in
Corinth.
Salmas. E
pist. 78

A rivent à bon, id est, *Sol*, ad quos minime quidem possum accedere: *Ægæ* enim factum est ex *Ægyptio* Or, cui à Græcis addita terminatio est. Or nomen fuit pàkori cuiusdam *Ægyptio* Telegoni patri, qui septimus ab Inacho *Ægypti* regnum tenuit. Hujus meminit Hieronymus in Chronici Eusebiani libro posteriore, & alterius Or in Epistola ad Ctesiphontem adversus Pelagium, cap. 2. *Ægyptiorum* Abbatum duorum vitam scripsit Palladius in Lausiacis, quorum alteri Or nomen fuit, alteri Pior, præfixo nimirum *Ægyptio* articulo masculino. Idem alio loco meminit virginis Taor, nomini Or præfixo itidem articulo feminino *Ægyptio*. Or genitum est Dei hujus *Ægyptiaci* nomen, unde *Ægæ* Græcum, adjecta terminatione. Quemadmodum autem in honorem Dei illius non unus

Bruno. Quod si quis ego ita dictus reperiat, non per metaplasmum pro $\alpha\rho\epsilon$: ita putetur nuncupatus, ut conjecit Scaliger: sed $\alpha\rho\epsilon$ est contrariio ad primigenio $\alpha\rho$ inducta Græcæ forma detortum existimetur, $\alpha\rho$ autem purum putum Hebraicum est $\alpha\rho$, quod lucem significat, & pro ipso etiam Sole usurpatur Jobi 31. 26. necnon est Jobi 36. 30. & Isaiæ 5. 30. juxta quorundam Interpretum expositionem. Jam vero unde manavit Origenis nomen in promptu est: ab $\alpha\rho$ nimirum fieri debuit $\alpha\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$, non $\alpha\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$, quemadmodum ab $\eta\rho$, $\eta\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$ $\eta\eta\varsigma$, non $\eta\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$. Ita $\pi\upsilon\rho$, $\pi\upsilon\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$, Bacchi Epitheton apud Nonnum. Origenes igitur inde fuerit quod *Phaëgenia*, non quod *Montigenia*. Erafmum, Caninum, ceterosque in fraudem illexerunt hæc Etymologi verba: $\epsilon\ \mu\upsilon\phi\omicron\ \mu\omicron\upsilon\eta\eta\eta\ \eta\eta\epsilon\gamma\eta\epsilon\tau\alpha\iota$, $\eta\ \eta\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\ \alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$ $\alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$ $\alpha\upsilon\tau\eta\varsigma$ $\lambda\alpha\phi\epsilon\tau\alpha\iota$ $\eta\ \epsilon\ \sigma\epsilon\iota\sigma\theta\eta\varsigma$ $\epsilon\iota\sigma\iota\sigma$, $\alpha\rho\epsilon$, $\alpha\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$, $\alpha\rho\epsilon\gamma\eta\eta\varsigma$, $\epsilon\ \epsilon\tau\ \eta\eta\ \alpha\rho\epsilon\gamma\eta\eta\eta\epsilon\tau\alpha\iota$: Hæc rectius intellexis-

Cient profecto, si ad sequentia attendimus: το γὰρ ὕψος ὄρηα καὶ βαρυτητα, καὶ διά τε οὐ μόνον ὡς ἔρηται, καὶ ἀπὸ τούτων nec enim apertius significare Etymologiarum auctor aliud effert, ἰσχύς, aliud, *νεχύς*. Ac aliis itidem loco nomina illa, *νεχύς* καὶ *νέχαι*, patronymica esse docet, nec proinde *νέχαι* τῶ ὕψος, sed *νέχαι* τῶ ὕψος τὸ *νεχύς* derivari, *νέχαι* autem ulitatum inter *Ægyptios* multorum nomen fuit. Duorum ejus nominis Grammaticorum meminit Suidas, Thebei alterius, alterius Alexandrini. Ab Orisofilice, quo etiam nominis complures, ut dixi, gavisi sunt. Ipse venator Orion, qui inter *Alstra* relatus est, non quasi *νέχαι*, quod etymon *Græcia* mendax confinxit, sed ab *Ebræo* potius *נח*, quasi *divas*, *Lucius*, nomen habuit; hic est enim unus alterissimus omnium lucidissimus, *Ebraicum* autem nomen habuisse ipsum eo credibilis est, quod in *Bæcia* vixit, itidem ut *Cadmus*

D Orionis ætaten non multo superior, qui Phœnicum linguam in Græciam intulit. Addit Hæschelius pro *ἑρπύλλης* factum *ὀρπύλλης*, quemadmodum pro *ἑρπύλλης* ②. Poëtæ *ὀρπύλλης* dixerunt. Id nolle erudito viri excidisse; quod enim metri necessitate adducti aut sunt Poëtæ aliquando, id in legem aut exemplum trahere non debuit. Nec felicior aliorum conjectura, qui Origeni nomen factum volunt, quod tempestive genitus sit; nam sic scriberetur *Horigenes*, non *Origenes*. Inane est autem quod ejus sententiæ confirmandæ scriptum adjecit vir eruditus, se in vetustis Codicibus Origenis nomen cum aspiratione scriptum sæpius reperiisse: certum quippe est longe etiam frequentius aspiratione carere; a Horo nimirum appellatio est, qui aspirationem sibi vindicat aliquando, sæpius etiam respuit.

E III. Id ergo nominis à puero habuit Origenes , at annis fubinde prodeuntibus Ad-
mantius cognominatus est , ὅτι ἀδελφάντιος διαμοίος ὠνομασθῆναι ἐξ αὐτοῦ λέγειν , inquit Pho-
tus ; vel propter mentis adamantinum robur , quæ nullis in illustranda Scriptura , & in
scribendo laboribus defatigaretur , quemadmodum in Epistola ad Marcellam prodit Hiero-
nymus ; vel quod tanquam invictus adamas fortiter veræ fidei opem ferret , omniaque
in semella Hæreticorum tela veritate ipsa retunderet . Atque id cognomen tum sibi huius
ipsum ascrivisse tradit Epiphanius . Hinc refellitur Erasmus illud ipsi jam à vitæ exortu
non ex moribus inditum exilimans . Abingenti etiam librorum quos assidue scribere
copia συναρίσκει , sive συντάττει , sive συνεκτάττει dici meruit . Chalcenter etiam attribui-
tum est ei ab Hieronymo cognomen tum , ad Didymi illius Alexandrini Grammatici exer-
F plum , qui ob indefessum scribendi studium , & assiduam circa libros moram eandem ap-
pellationem consecutus est ; supra tria quidem librorum millia & quingentos conscrip-
tum multo plures Origenem scripsisse proditum sit : minime autem dum viveret Ad-
mantius noster Chalcenteri nomen gessit . Paribus de causis Apion Grammaticus , ac
dem Egyptius , propter inusitatam in literariis laboribus constantiam , μύθη cognomi-
dictus est . Sed redeamus ad propositum .

IV. Sex præter Origenem filios suscepit Leonides : at cum in illo admodum etiam
tunc puero magna ad virtutem eluceret indoles , omnem fere Patris amorem ac studi-
um ad se convertit. Hunc itaque sibi domestica institutione, assidueque præceptis forma-
tum suscepit Leonides, animumque rudem primis inbuivit Christianæ pietatis, divinarum
que simul & exoticarum doctrinarum elementis : sed ita tamen ut in quotidianis ex-

citationibus, humanarum literarum studiis sacra disciplina praeirent. Erat omnino in A puero ingenium peracre & fervidum, singularis memoria, flagrans & incredibile studium, ut quidquid sibi impositum esset ad discendum non tam exciperet quam arriperet, docentemque Patrem discendo & quaerendo defatigaret. Cum enim selecti e Scriptura sancta loci singulis quibusque diebus memoriae commendandi ipsi proponerentur, proclivi verborum sensu non contentus, satagebat subire ad interiora, & reconditas sententias evolvere, Patremque assidua percontatione lacebatur. Ac puerum quidem immoderata quadam ingenii ubertate superfluentem coeercebat, palamque castigabat; sed felicem nihilominus animi calorem tacitus admirans futurum augurabatur, ut ad maiora aspiraret aliquando, filioque nondum puberi summa omnia iudicio suo tribuebat. Sed quas interdiu blanditias prudentia & gravitas continuerant, eas noctu patrius amor exprimebat; ferunt siquidem dormientis cubiculum pueri saepe ingressum Patrem, nudatum filii pectus, sic tanquam aliquod Spiritus sancti domicilium fuisse exosculatum, Deoque grates egisse, qui se tam felici prole auxisset.

V. Postquam domesticis praeceptionibus roboratus animus publicam lucem quaerere cepit, Clementi Alexandrino, qui Pantani scholam regendam suscepit, in disciplinam traditus est, quo magistro tantum valuit ingeniosi adolescentis exercitatio, ut praeter artium sacrarum disciplinam, ad quam meditationes fere referebat omnes, maximam etiam colligeret memoriae antiquitatis, & Mathematicas ad haec artes, facultatemque oratoriam adjungeret. Applicavit deinde sese ad Ammonium, cognomento Saccam, & in ejus exhedris insignem Philosophiae peritiam comparavit, sed Platonica praesertim, C quae tam altas in ejus animo radices egit, ut succrescentes Christianae doctrinae fruges interficeret; nam Ecclesiae scita fere exigebat ad normam Platonis, & sincera Christi dogmata Platonice, ut ita dicam, coloribus oblinebat. Est apud Wernerum in Fasciculo temporum Alexandri in Hierosolymitano Episcopatu decessorem Narcissum Origenis fuisse magistrum. Tale quidem nihil habet Eusebius; neque certe unde id sumserit Wernerus, comminisci possum. Halloxius Origenem scribit Pantanum quoque praepceptorem audivisse; cui uti assentiamur nulla nos adducunt Veterum testimoniasimo vero refragari etiam videntur; memoriae quippe prodit Eusebius Origenem etiam tum puerum Clementis auditorem fuisse; post Pantanum autem Alexandrinae Scholae Clementem praefuisse. Docendi igitur curam tunc abjecerit Pantanus, cum primum magistris usus est Origenes. Narrant quoque Magdeburgenses inter praepceptores Origenis Huillum recenseri ab Hieronymo in Apologia in Rufinum. Ab Huillo quidem nonnulla monitum fuisse Origenem, quae ad veriorem Scripturae interpretationem pertinerent, narrat Hieronymus. Quod si praepceptor dicendus est, qui errantem meliora pro tempore amice submonet, profecto quicumque literis damus operam nostri invicem praepceptores sumus, quippe qui nos invicem monitis juvamus & consiliis, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim.

Magdeb.
Cent. 3. c. 10
Hieron.
Apol. libr.
1. cap. 3.

VI. Duo porro hic videnda sunt, utrum Ammonium audierit Origenes; tum pluresne hujus nominis ex Ammonii schola prodierint: haec enim a vitis erudit in utramque partem disputata sunt. Priorem quaestionem agit Baronius ad annum Christi 234. E mirarique se dicit, qui audire Ammonium potuerit Origenes Ammonio fere aetate superpar, & aliorum ipse institutioni ante annum aetatis tricesimum praefectus. Quasi non his saepe temporibus, ut pluribus probabimus infra, jam grandes natu viri scholas frequentarint; & hujus ipsius Ammonii discipulus Plotinus, ad eum audiendum annos viginti octo natus non accesserit, annosque cum undecim audierit: quasi Catechumenis fidei Christianae rudimenta tradere, & Grammaticam publice profiteri non potuerit Origenes; ipse successivis horis sepositum ad audiendum Ammonium tempus habere. Neque vero post Porphyrij, Eusebij, Nicephori, & Suidae testimonium, quin Ammonio magistro usus sit, potest dubitari.

VII. Spissior est & reconditior altera quaestio, cujus accurate pertractandi commodum nacti locum, non disputabimus tantum, pluresne Origenes ex Ammonii schola orti sint, sed ab unione etiam & eodem Origene duplex Origenistarum Haereticorum secta profecta sit, tum etiam multiplexne fuerit Adamantius. Per mihi sane placet Henrici Valesii sententia, viri Ecclesiasticae juxta & profanae antiquitatis literate periti. Is in luculentis ad Eusebii Historiam Annotationibus geminum Origenem Ammonio operam ad audiendum dedisse scribit, alterum Adamantium nostrum; alterum illum qui cum Herennio, & Plotino a condiscipulatu conjuncte vixit, & cujus frequens occurrit mentio in Vita Plotini a Porphyrio conscripta, & in libri de fine a Longino lucubrati fragmento, quod huic ipsi Vitae Porphyrius intexuit. Rationes quibus id adstruit Vir doctus brevi complectar, Adamantium Origenem Ammonii auditorem multam ex scriptis apud

LIBER PRIMUS.

A apud posteros gloriam fuisse consecutum à Porphyrio traditum est; at Origenem alterum Plotini sodalem nihil præter libellum de Dæmonibus scriptum reliquisse do- centiædem Porphyrius, & Longinus. Imperantibus præterea Gallo & Volusiano Ori- genem eum, qui Adamantius usurpatur, extremum clausisse diem prodit Eusebius; Ori- genem vero alterum sub Gallieno librum quemdam elaborasse in eadem Plotini vita scri- ptum Porphyrius reliquit. Quibus tertium illud argumentum addo. Origenem Ada- mantium sibi valde adolescenti cognitum aliquando fuisse Porphyrius tradidit; quod non dixisset profecto, si diuturna sibi cum illo & constans intercessisset necessitudo: Origenis autem alterius Romæ condiscipulum & æqualem fuisse Porphyrium memoriæ prodidit Eunapius. Sane imperium tenente Philippo iter Romam neutiquam suscepisse Ori- genem Adamantium, & Roma omnino per id tempus abfuisse certissimum est; nec enim tam longam peregrinationem credibile est silentio fuisse prætermisuros Eusebium, & Hieronymum: at Origenem alterum ad Plotinum Romæ tum in Scholis publice dis- sentem accessisse auctor est idem Porphyrius. Id si animadvertisset Baronius, neque con- tra Eusebii fidem Origenem Adamantium, quem ab alio non distinxit, secundo Romam abiisse ad Fabianum Papam purgandi sui causâ excogitasset, neque Poslevino & Halloxio idem ut crederent causam præbuisset: hoc enim unus ille Porphyrii locus Viro magno persuasit. Quemadmodum autem duos Origenes in unum confuderunt nonnulli, ita ex uno & eodem Origene Leonidæ filio duos Origenes alii effinxerunt, verum alterum, à quo orti sunt Origenistæ simpliciter dicti; alterum Origenistarum, qui Fædi cognomi- nati sunt, principem & antesignanum. Id miror temere nonnullos affirmare, quod igno- rare se testatur Epiphanius scriptor locupletissimus, & proximus temporum illorum Epi- phanii verba parum sincere reddidit Augustinus: eum enim conceptis verbis nescire se professus fuisset Epiphanius, an ab Adamantio Origene, an ab alio impuri Origenistæ propagati sint, hæc ita reddidit Augustinus: *Origeniani à quodam Origene dicti sunt, non ab illo qui fere omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus ejus Epiphanius lo- quens, &c.* Vitiatam ab Augustino sententiam nova accessione scævavit Augustini simius Prædestinatio auctor, quem edidit Sirmondus; sic enim scripsit: *Quadragesimam & secundam Hæresim Origeniani inchoaverunt, à quodam Origene, non illo qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo.* Verba hæc Augustini: *sed ab alio nescio quo*, videtur falsâ hac le- ctione depravasse: *sed alio Syro quodam.* Idem capite sequenti alium nobis obtrudit Ori- genem ab Adamantio nostro diversum, dogmatum eorum auctorem, quorum Adamantium Epiphanius accusavit. Sophronius Hierosolymitanus ab Epiphanio inductus, geminum quoque Origenem, alterum antiquiorem, Adamantium alterum commemorat in Epistola ad Sergium: quod observatione sua dignum Photius existimavit. In eadem causâ est Jo- hannes Damascenus, geminum fingens Origenem, unde duplices orti sint Origenistæ, Fædi, & Adamantii sectatores. Atque item Guido Carmelita, Elnensis Episcopus, qui in lib. De signamentum idem arripuit. Atque ita duone extiterint Origenes Origenistarum principes addubita vit Epiphanius; asseverarunt Augustinus, Sophronius, & Johannes Damascenus; tres autem finxit Auctor Prædestinati, scriptor nequam, ut vel ex eo conjicias quod eo- dem capite Pamphilum martyrem, Episcopum aliquando fuisse tradit. Quod autem as- severavit Augustinus, negavit id diserte Baronius, & causas cur duplex fingeretur Ori- genes acute perverstigavit. Memoratus potro ab Eunapio Origenes ille quem diximus, Porphyrii & Amelii condiscipulus, idemne sit ac sodalis ille Plotini, an alius, non satis extat; nam qui cum Plotino Ammonium audiavit Origenes, Plotini æqualis fuit & ami- cus, nec doctrina inferior, ut ei ad se audiendum forte venienti erubescens assurgeret Plotinus, nec coram eo verba facere sustineret: at laudatus ab Eunapio Origenes alter Plotini scholam videtur frequentasse, quippe qui Porphyrii & Amelii Romæ condisci- pulus fuerit, quorum utrumque Plotini doctrinam Romæ capevisse constat. Id si sit, Ori- genes duos iisdem temporibus cum Plotino Romæ conjunctissime vixisse dicendum est, F alterum ejus condiscipulum, discipulum alterum. Quartum ad hæc Origenem, Egy- ptium & ipsum, atque itidem Presbyterum, & Ammonii alterius sodalem, verum Ada- mantio Origene recentiorum, & Athanasio Alexandrino Episcopo coævum, à Palladio in Lausiâ, & Nicephoro Callisti commemoratum addam: reliquos hujus nominis li- teratorum diligentia investigandos relinquam. Cautionem præterea à studiosis adhiberi velim, ne quotiescunque Adamantii mentio in Scriptoris Ecclesiasticis incidet, eun- dem statim hunc arbitrentur esse ac Origenem: id enim nominis, præter alios, Auctori cuidam Christiano fuit, quem ab Origene caute distinguens Theodoretus, utriusque scriptis ad contextendam Hæreticarum fabularum Epitomen ulum se non semel profi- tetur.

VIII, Decimum fere & septimum ætatis annum exegerat Origenes, cum Christi Ec- clesiam

Porphyr.
apud Euf.
Hist. lib.
6. cap. 19.

Baron. ad
A. 248.

Epiphan.
Her. 63.
c. 1. & Her.
64. cap. 3.
Augustin.
lib. de Her.
cap. 42.
Prædestin.
Her. 42.

Phot. Cod.
231.
Io. Damas.
in lib. De
Hæresib.
Guido
Carmel. in
Summa de
Hæresib.

Baron. ad
A. 256.
Eunap. in
vit. Porph.

clesiam modis omnibus vexare aggressus est Severus Imperator. Cum enim per totum orbem sese Christiana fides effunderet, veritus quippe est vir cautus ac diligens, ne hinc aliqua existeret rerum conversio. Toti itaque Ecclesiae bellum atrox indixit. Aegypto tunc praeerat cum imperio Latus, qui ut Imperatori fidem suam praeferret ac diligentiam, in Aegyptios Christianos, sed in Alexandrinos praecipue ferino ritu deservivit. Tum vero Origenem ingens martyrii cupido incescit, quise cum hoc fecisset, egregium scilicet vitae fructum cepisse arbitratur. Praesensit id mater, & precibus ac rationibus excogitatis vix filii propositum repressit. Quod omnibus porro votis concupiverat filius, id repente patri obiectum est: qui in vincula Christi nomine coniectus, morti destinatur. Soporitum martyrii desiderium in Origenis animo excitavit Leonidae constantia, ut quavis sibi potius subeunda tormenta, quam a sperata martyrii gloria discedendum putaret. At mater adhibitibus frustra fletibus filii impetum tardavit arte, & occultis ipsius vestimentis invitum domi retinuit. Itaque quod ipse facere non potuit, patri ut faceret literarum adhortationibus auctor fuit: quibus confirmator effectus Leonides capitis supplicium tulit, anno, ut dixi, Severi decimo, ad X. Cal. Majas, ad quem diem mors ejus refertur in Romano Martyrologio. Bona ejus, quibus familiam dum viveret honeste toleraverat, fisco sunt addicta: atque ita Origenis, cum matre ac sex parvulis fratribus in summa egestate & luctu relictis, opes omnes contusae sunt. Christianis favebat Alexandria nobilis & opulenta mulier, & facultatibus suis sublevabat inopes, sed Orthodoxos ab Haereticis parum caute discernebat: nam Paulum quemdam Antiochenum, inter Alexandrinos Haereticos primas tenentem, non opibus solum fovit, sed domi etiam exceptum in filium adoptavit. Origenis illa quoque casum miserata, pueri languescere non sivit industriam, & animum incultu torpere; sed victu, ceterisque rebus commode & liberaliter habuit. Inde Origeni aliqua cum Paulo intercessit consuetudo: sed quamvis ad hunc propter eloquentiam homines non Haeretici modo, sed Orthodoxi etiam concurrerent, nunquam adduci potuit Origenes ut precationum cum eo consociaret usum, quod Ecclesiae legibus vetitum esse meminerat. Non leviter hic ab Eusebio, quem tamen affectatur palam, sed hoc loco, ut videtur, intellexit parum, dissentit Nicephorus: Paulum quippe divitis hujus sceminae maritum fuisse scribit, Origenem adoptione filium; quod ex male acceptis Eusebii verbis sensisse illum statim intelliget, qui verba ejus contenderit cum Eusebianis, vel Rufini interpretationem cum utroque contulerit.

Niceph. lib.
5. cap. 5.

IX. Acceptum incommodum diligentia sarcire cupiens Origenes, & fortunam industria sublevare, traditam sibi a Patre humaniorum doctrinarum cognitionem acerrimis studiis excoluit, tantosque fecit in Grammaticis disciplinis progressus, ut eas publice docendas susciperet. Hinc largus illi ad usus vitae necessarios proventus. Ethnicos autem adeo illexerat Christi religio, ut metu fugatis Ecclesiae Doctoribus, confluerent ad Origenem adhuc adolescentem, sed doctrina in adolescentia & virtute conspicuum, ab eoque sacra sibi dogmata exponi vellent. Cujus sermonibus affecti plerique, Christi suscepta fide, in intimam ejus familiaritatem sese adjunxerunt. Itaque Alexandriae Ecclesiae Episcopus Demetrius, non felicius Christianorum res in Aegypto reparare se posse credidit, quam si Catechumenorum curam uni Origeni octodecim annos nato demandaret. Utrasque hic igitur sustinebat partes, Literatoris, & Catechista.

Nova interim Aquilae Alexandriae Praefecti in Ecclesiam detonuit Persecutio, in eaque Origenes singularibus fidei, pietatis, ac constantiae speciminibus editis magnam sibi inter Christianos famam & gratiam peperit. Cum enim traherentur ad necem Martyres Christi, obvios amplectebatur, affectabatur cunctes, morientibus aderat, & tormentorum savitiam allocutionibus & solatiis levabat. Unde circumstantis populi conversa in se iracundia, lapidibus appetitus, cum nefariorum hominum vix effugisset manus, statim domus ejus, quam frequentari Catechumenis adverterant, armatis hominibus circumfessa est. Mihi imprimis eorum probatur opinio, qui tempestati huic egregium Origenis facinus, ab Epiphonio commemoratum adjungunt, quando eum adrafo vertice, quales Aegyptiorum Deorum ministri esse solent, profani Serapidis gradibus statuentes Ethnici, palmarum ramos praeberere jusserunt Sacerdotibus, qui ad obeunda sacra ascendebant, quo more eorum gravissimae caeremoniae continentur. Acceptis ille palmarum furculis, praesenti animo & erecto, adstantes alta voce sic allocutus est: Adeste, accipite rimum, non Templi Idolis consecrati, sed Christi. Quibus Gentilium in se concitatis animis, fugere, latitare, & latbras crebro commutare coactus est.

Epiphon.
Har. 64.
cap. 1.

X. Alexandria sub idem tempus excessisse ipsum, & Caesaream Cappadociae confugisse censet Baronius, Palladii auctoritate permotus, qui Origenem scribit, cum Gentilium vexationem fugeret, Caesarea apud Julianam virginem delituisse biennio, & in literis animum habuisse. Deinde haec subnectit: ὡς δὲ ταῦτα ἐν τῇ συγγραφῇ ἐν παλαιότητι ἐξέλεγε

ἐν τῇ συγγραφῇ

Baron. ad
A. 285.
N. 6.
Pall. Laus.
cap. 147.

LIBER PRIMUS.

A *ἡμεῖς, ὅτι ἐν ἐκείνῳ χειρὶ ἀνεγέρθη· τὸ τοῦ βιβλίου εὐρον ἐν τῷ παλαιῷ ἱουδαίῳ παραδόντι ἐν χειρὶ αὐτοῦ, κρυπτόμενον· καὶ γὰρ αὐτῷ, ὅτις ἔλεγε παρ' αὐτοῦ συμμάχῳ τῷ ἱεροκλῆϊ ὅτι ἱουδαίῳ αὐτὸ εἰληφέναι.* Manifesto hæc sibi repugnant: nam si librum illum manu sua exaravit Origenes, quomodo illum à Symmacho habere potuit Juliana? quomodo eum apud Julianam Origenes reperire? Lege, *ὅτι ἐν ἐκείνῳ*, proclivia sient omnia. Scse in antiquissimo libro verba hæc manu Origenis scripta reperisse ait Palladius; *Hunc librum invenit apud Julianam virginem, in Cæsarea civitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab ipso Symmacho interprete Iudeorum se accepisse referebat.* Quoniam autem alibi docet Eusebius Symmachi Commentarios in Evangelium Matthæi, & ab eo concinnatam Scripturæ interpretationem, à Juliana Origenem accepisse, quæ ea porro jure successionis ab ipso Symmacho habebat, inde collegit Baronius. *Euseb. Hist. lib. 6. cap. 17.*

B ex iis Symmachi libris memoratis ab Eusebio unum eum fuisse, quem manu Origenis notatum vidit Palladius; vel Commentarios nempe in Matthæum, vel Interpretationem ipsam Scripturæ. Præterea non alia Origenem de causâ latuisse apud Julianam censuit, quam ut aliquam Ethnicorum adversus Christianos persecutionem devitaret, vel Severi scilicet, vel Maximini, vel Decii: cum Maximini autem vel Decii ætate hi jam Symmachi libri exissent in lucem, & ad Origenis proinde notitiam venissent, tum certe ab eo fuisse inventos, dum Severi bellum in Ecclesiam ferveret. Halloxiū traxit in assensum ea Baronii ratio, quam accuratius tamen excutiamus. Quem librum Origenis manu notatum vidisse se ait Palladius, is erat antiquissimus: atqui Palladium ducentis circiter annis Symmachus antecessit. An vero ducentorum annorum codex, antiquissimus dici possit, existiment eruditi, qui sciunt quot sæcula ejusmodi codices durando vincere soliti sint. Symmachum ergo liber iste auctorem non habuit. Quos autem à Juliana Symmachi libros accepisse Origenem prodit Eusebius, ab ipso fuerunt Symmacho elaborati. Ad hæc fuit *ἡμεῖς* ille Codex quem vidit Palladius: at neque Symmachi Commentarios, neque Scripturæ Interpretationem, *ἡμεῖς* fuisse scripta cuiquam bene sano persuadebitur. Alius ergo fuit ille Palladio commemoratus liber, alii Eusebio. Nec mirum sane utrosque à Juliana accepisse Origenem, cum verisimile sit universam Symmachi Bibliothecam ad Julianam hæreditario jure pervenisse, cujus ipsa deinde Origeni copiam fecerit. Hinc ergo frustra concludit Baronius Symmachi interpretationem & Commentarios tunc ab Origene fuisse inventos, cum imperium teneret Severus, & Ecclesiam male haberet, propterea quod jam tum in Origenis, omniumque adeo manus venerant, cum Maximinus, aut Decius Christianam rem publicam oppugnarunt. Ac si fieri non potuerit, ut quamvis jam innotuissent multis hæc lucubrationes Symmachi, ipsum tamen Origenem aliis distinctum rebus effugerint. Eandem ejus latitationem narrat Eusebius, ipsumque ait ex ædibus in ædes fugientem migrasse, non ex urbibus in urbes; & tota urbe neutiquam potuisse occultari, non vero Alexandrinis finibus excessisse. Tum continuo subjicit tot ejus exemplo ad Christi partes fuisse adductos, ut crescente indies Catechumenorum numero, quos ipsi soli instituendos commiserat Demetrius Alexandrinus Episcopus, Grammaticæ artis professione se abdicaverit. Quibus ita ab Eusebio conjunctis quis tam longinquum, tamque diuturnum iter putet intercessisse? Cum illud ergo tempori huic minime possit aptari, commodius aliud infra reperire conabimur.

XI. Confluente indies ad Origenem, ut dixi, auditorum numero, quos partim Grammaticæ studium, partim Christianæ doctrinæ percipiendæ cupiditas alliciebat, parum sibi convenire credidit tradere elementa literarum, qui Verbo Dei hominum mentes posset imbuiere. Quamobrem abrogavit sibi tradendæ Grammaticæ munus, & ad celebrandas meliores doctrinas se convertit. Atque hinc imminutos rei familiaris fructus ut sarciret, professorio muneri utiles libros, quorum pretiosa ipsi suppellex erat, distraxit omnes, ac diurnæ quatuor obolorum pensionis pretio vendidit, ne operi suo destinatum domesticæ rei sollicitudo retraheret.

XII. Ad rerum divinarum studium accessit etiam virtutum omnium, quæ essent Christiano dignæ, usus assiduus. Dies docendo, noctes legendo conterebat. Jejunia longa, somni breves, quos humilitatum, vel in stercora abjectus capiebat. Frigoris ad hæc patientissimus; vini, olei, aliarumque rerum, quibus irritatur gula, & ad laborem ferendum remollescunt homines, abstinentissimus, usque adeo ut tentaretur valetudine, & stomacho laboraret. Christianum Philosophum vere dixisses. Cujus tanta fuit inter Gentiles Philosophos, & Christianos admirabilitas, ut ad ejus imitationem totos se componerent, ipsiusque adhortationibus incensi palmam martyrii consequerentur. Hinc illi Plutarchi, Heraclides, Sereni, Heraides, & Herones, quorum morte Christiana res valde illustrata est.

XIII. Interea dum hæc geruntur corpus suum evirare Origenes ausus est, sive ferro excelsis genitalibus, ut crediderunt Hieronymus, & Nicephorus; sive medicamento exc-

catis

*Hier. Ep. 65.
Niceph. lib.
5. cap. 8.*

ORIGENIANORUM

Epiphan.
Har. 64.
cap. 3.

8

catis, ut aliis persuasum est: rem enim Epiphanius in incerto reliquit. Quamquam verisimi-
lius est medicamine imposito extinxisse genitalem vim, quam gladio verenda amputasse:
non quod existimem, id si fecisset, levitatem oris prodituram fuisse factum, quod summa
cura occultum habere voluit; certum est enim barbam ei non defluere, si quis jam vesti-
ceps aut barbatus exectionem patiatur: sed propter horrorem facti; nam quis ita in se sa-
visse puter hominem non insanum, cum mollioribus uti posset remediis, unde idem com-
modum capiebat? Certe si quid amplius conjectura tribuendum est, cicutam genitali-
bus illevisse crediderim, quam Athenienses Hierophantas ad compescendam libidinem
adhibere solitos ipse prodidit lib. 7. contr. Cell. 2. eis μὲν σου, inquit παρ' ἀθανάτοις ἱεροφάντης,
ἰδίᾳ πεπιστευμένῳ· ἡμεῖς τὰς ἀρεσκυλὰς ὀρέζοις, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ θυνδύμῳ, καὶ κρατεῖν αὐτοῦ εἰς ὅσον ἐλάτῃ,
κονεῖται· οἱ τὰ ἀρεσκυλὰ μὴ καὶ ἀγὰς ἡ νομίζῃ σὺν τὴν νενομισμένῳ παρ' ἀθανάτοις ἀριστέα· id est, obli-
tis cicutam masculis partibus: cohibenda quippe veneris gratia cicutam locis illis admoveri
tradunt Dioscorides & Plinius, non sorberi, uti factum ab Hierophantis memorat Hiero-
nymus lib. 1. adv. Jovinian.

Dioscor.
lib. 4. c. 79.
Plin. lib. 25
cap. 3.

Causa cur id faceret, complures Origeni fuere. Ventitabant ad eum puella, fidei Chri-
stianae & studiorum gratia: quam hominum autem ingenium a labore proclive esset ad
libidinem optime intelligebat, verebaturque ne ex frequenti virginum consortio corpus
in ipso juventutis flexu male sui compos ad voluptatem impelleretur. Commovebatur ad
hac effatio Christi, quo se ipsos propter ecclesie regnum evirasse nonnullos pronuntiaverat.
Id cum praeter germanam sententiam accepisset, pravis, ut opinor, deceptus Valerium
Hareticorum expositionibus, qui aetatem ejus praecesserant, sibi soliti fuerant virilia
execrare, nova ista in eo religio incescit. Et jam aliis inductus Christi verbis, a legitimo sen-
su detortis, unicam sibi tantum habebat tunicam, abjectis calceamentis nudis incedebat
pedibus, nec ullo modo vel in crastinum, vel in longitudinem consulebat. Aliam praeter
de hac re Origeni fuisse causam scribit Eusebius; ne scilicet ex crebris puellarum ad se sitio-
nibus & alloquiis obrectandi occasionem haberet malevolentia. At repugnat quod mox
subjungit, operam dedisse Origenem, ut factum illud occultaretur: nam si occultavit, quo-
modo rumores hominum ignorabile factum sopire potuit, quod evulgandum erat ad male-
dicentiam & obsecros rumores compescendos? Ad annum Severi decimum quartum per-
tinere hac suspicatur Baronius: quorum tempus neutiquam Eusebius designavit. Id si sit,
annum tunc egerit Origenes vigesimum primum.

Matth. 19.
12.

Euseb. lib.
6. cap. 8.

Magna vero hic doctorum hominum concertatio est, laudene ejusmodi facinus, an vi-
tuperatione dignum sit. Aperte damnat Baronius, multisque sententiam suam argumen-
tis tuetur, sed quae ad eam fere, quae ferro sit, evirationem pertinent. Contra ea Halloxi-
us, non excusat modo, sed dilaudat. Ego singula ab utraque parte collecta non referam;
quod ipse sentio, paucis exponam. Certum est voluntariam sui ipsius exectionem, eam di-
co quae sit gladio, veritam esse Apostolicis Canonibus 22. & 24. At eorum dubia est aucto-
ritas, & penitus ab Halloxio respuitur. Eandem damnavit extincto jamdiu Origene Ni-
caenum Concilium, damnavit & Arelatense. Ipsi quoque Eusebio, perpetuo licet Origenis
laudatori, vacordia hujus vituperationem vis veritatis expressit. Sed quid aliena conqui-
rimus, cum domestica suppeditent testimonia? Utamque castrationem, & quae exectio-
ne, & quae exiccatione perficitur, damnavit demum Origenes, aliosque ne simile quid in se
aliquando conciperent, vehementer absterruit, cum aliis locis, tum praesertim suis in Mat-
thaeum Commentariis. Locus habetur Tom. 15, ad cap. 19. v. 12. quem omnino consuli
velim.

Baron. ad
A. 230.
Hallox. lib.
4. Orig.
def. Quasi.
9.

Nican.
Concil.
Can. 1.
Arel. Con-
cil. Can. 7.

Discipulos suos & familiares facinus suum celaverat Origenes, dubius animi laudine sibi,
an probro ducendum foret. Rem tamen comperit Demetrius, quam vehementer admira-
tus primum, tum laudibus etiam prosecutus, confirmavit Origenem, strenueque susceptum
munus iussit traducere. Tum hic denique remotis impedimentis, universos ad se erudiendi
caussa venientes nullo sexus discrimine admisit. In eorum autem institutione summa se tra-
ctavit diligentia, omneque suum otium ad eorum negotium contulit.

CAPUT SECUNDUM.

I. Severi Imperatoris obitus. Origenes Romam proficiscitur, II. Alexandriam redit,
III. Ebraicam linguam condiscit, IV. Ambrosium ad Christi fidem convertit, V. accer-
situr in Arabiam, redit Alexandriam, VI. Palaestinam petit, Alexandriam redit, VII. a
Mammæa accersitur Antiochiam, Alexandriam re-vertitur, VIII. Scripturam sacram
Commen-